

quid sibi per illam voluerint; alii enim aliter eam interpretantur, seu potius divinare contendunt. Aliqui suspicantur eam non fuisse nisi sacerdotum illorum sycophantiam, quod quidem mihi omnibus perpensis vehementer probatur (1). Saltem ex parte certè fabulosa est.

Inter eos, qui definire conati sunt epocham zodiacorum et planisphaerii Tentyrensis, tot sententiæ quot capita. Planisphaerium Lutetiam delatum accuratè examinavit Delambre, qui decernere non dubitavit Alexandro M. posterius esse, et præsertim clar. Biot, qui ex accuratis mensuris et calculis deduxit, illud exhibere cœli formam seu statum, prout erat à septingentis ante Christum annis; addit tamen post aram christianam constructum. Et reverà, quæcumque cœli forma seu status ab his monumentis referatur, non ideò sequitur tempore statui illi respondente constructa esse; uti si picta tabula referat antiquum aliquis urbis vel regionis statum, non idcirco illo tempore picta fuit. Verùm hæc disquisitiones ferè inutiles sunt. Architectura enim et sculpta vel picta signa ostendunt ad epocham non valdè remotam pertinere templa Tentyræ et Latopolis. Templi Tentyræ, ubi erat planisphaerium, porticus in quâ adhuc zodiacus superest, sacra erat *Saluti Tiberii*, ut docet græca inscriptio. In minori templo Latopolis (quod jactabant ædificatum saltem an. 2700 vel 3000 ante Christum) adest columna sculpta et picta (et quidem eo stylo, quo proximus zodiacus) anno 10 Antonini, seu an. 140 aræ christianæ. Præterea divisio illa zodiaci, quam putabant solstitium indicare, nullam cum eo relationem habet. Arca cadaveris juvenis defuncti an. 49 Trajani, seu 116 aræ nostræ, præ se fert zodiacum cum distributione signorum ut in templo Tentyræ (2). Quæ omnia

(1) Sic enim loquitur Delambre l. c. p. 44. Hérodote avait appris d'eux (prêtres égyptiens) que le soleil avait changé quatre fois les points de son lever, qui étaient devenus ceux de son coucher; ou Hérodote ne les a pas compris, ou ils étaient des habileurs ignorants, ou bien ils se sont moqués d'Hérodote.

(2) Conf. Biot, Recherches sur plusieurs points de l'astronomie égyptienne. Paris 1825, avant-propos, p. 56 suiv., ubi inter cætera scribit: « Pendant l'impression de l'ouvrage que je soumetts ici au public, deux savants distingués, M. Champollion le jeune et M. Letronne, ont, par des découvertes fort diverses, jeté une lumière toute nouvelle sur l'époque véritable à laquelle ont été faites les sculptures astronomiques de Denderah et de Latopolis.... M. Champollion... a trouvé qu'il reproduisait l'alphabet hiéroglyphique les titres et les noms de plusieurs empereurs romains, tels que César, Tibère, Domitien, Claude, etc. Il a cru même reconnaître, sur le contour extérieur du zodiaque circulaire de Denderah, le mot *autocrator*, exprimé dans ce genre de caractères; ce qui établirait que ce monument a été sculpté sous la domination romaine. Le travail de M. Letronne, quoique conduisant à des résultats équivalents, est fondé sur des preuves d'une nature toute différente. Il repose sur la discussion des inscriptions grecques trouvées en Égypte, et dont quelques-unes étaient sculptées sur les temples mêmes de Denderah et de Latopolis. » Ast præstat consulere integrum opus, in quo confutat præsertim Fourier, qui antiquissimam epocham his monumentis assignat.

argumento sunt invictissimo inepta prorsus esse, quæ increduli non ita pridem exinde contra revelationem intorquebant, classicumque canebant, quasi triumphum adversus Mosaicam historiam retulissent. Quàm miseri sunt, geminare prorsus juvat, incredulorum conatus!

II. Obj. : Impossibile est tam angusto temporis spatium, quale ab Adam, seu potius à Noe ad nos usque finxisse supponitur, adeò multiplicari homines potuisse, ut universum terrarum orbem occupaverint. Ergo. — Resp., nego; etenim Eulerus inito calculo ostendit, quod si homines à diluvio, vel à creatione singulis annis (prout tunc temporis fieri poterat) per decimam sextam partem multiplicati fuissent, solà quadringentorum annorum periodo, integer eorum numerus excedere debuisset ingentem summam centum sexaginta sex mille, sexcentum sex decies centena millium, ad quam multitudinem continendam alendamque non sufficeret totius terræque orbis amplitudo (1), cujus quidem calculi veritas confirmatur ex facto multiplicationis Israelitarum in Ægypto (2).

III. Obj. : Nullum saltem est argumentum, quod ex artium et scientiarum ortu et progressu eruitur ad adstruendam generis humani novitatem. Fieri enim potuit, ut ob diversas nobisque incognitas vicissitudines vel generales cataclysmos oblivione penitus obruta fuerint, ac denuò postea ac pluries inventæ (3). Ergo.

Resp. : Nego ant.; ad prob. verò, animadverto 1° hic non agi de possibilitate, sed de facto; ostendant proinde adversarii monumentis certis tum illas vicis-

Conf. insuper Letronne Recherches, etc., p. 180. et in Observations etc., p. 50. Cuvier l. c. § 535-538. Legi etiam possunt D. Testa, Diss. Il zodiaco di Denderah illustr. Roma et Genova 1822. Gussman S. J. Sogli antichi zodiaci d'Égitto traduz. dal ted. Venez. 1802 cum additione traductoris Potzobut S. J. Recherches sur l'antiquité du zodiaque de Denderah etc. Brocchi Biblioteca italiana t. 18, p. 558. Correspond., astronom. du Baron de Zach, vol. 6, n. 5, ubi legitur epistola D. Riccardi cum notis ejusdem Bar. de Zach.

(1) Eulerus, tom. 1. Introduct. exempl. 3, cap. 4 de qualitatibus exponentibus et logarithmis, tum exempl. 4.

(2) Ducentos quindecim annos in Ægypto degit Jacobi familia juxta eruditores chronologos; ita tamen propagata est, ut in exitu Israelitarum ex Ægypto sexcenta et amplius hominum millia et eò amplius fuisse referantur, et ea quidem bellicæ tantum juventutis, demptis nempe mulieribus, pueris et senibus, quibus per sexum aut per ætatem arma tractare minimè licebat, imò et Levitarum viginti duo millibus ad ministerium custodiamque excubantium. Dixi 215 an. Nam an. 450 peregrinationis Hebræorum, de quibus Galat. 3, 17, eruditores chronologi non ad servitutum illorum in Ægypto referunt, sed à promissione repetunt factâ Abrahamo Gen. 12, secundum quam statim à Charan egressus in Chananaam commigravit. Conf. Jo. Bapt. Riccioli S. J. Chronologia reformata, Bonon. 1669 tom. 1. lib. 6, c. 6, concl. 6, p. 259 seqq. Vid. etiam Petav. de Doctrinâ temp. Antv. 1703, tom. 2, lib. 9, ch. 25.

(3) Bailly, Hist. etc., Celsus apud Origenem lib. 4, n. 20.

situdines, tum generales illos cataclysmos reipsâ locum habuisse, aliouin nullam vim habet proposita difficultas. Porrò nonnisi unum universalem cataclysmum memorant omnium gentium annales, quem nec antiquissimum jactant. Animadverto 2° nonnullas artes tantæ necessitatis esse ac in usu quotidiano positas, ut datâ etiam qualicumque vicissitudine, nunquam possint obliterari. In quâcumque propterea hypothesi, quin

universum humanum genus perierit, non amplius opus esset, qui vel aratrum inveniret, vel qui nos artem fabrillem doceret, vel qui vitem ostenderet: neque ampliùs in deorum album referretur, qui nos de litterarum usu instrueret (1). Sed hæc satis sunt.

(1) Conf. Brocchi Conchiologia fossile, etc. Introduzione, p. 59 seq., ubi absurdam adversariorum hypothesim abundè confutat.

PARS TERTIA.

De Homine.

Perfecerat operis sui partes omnes, quum sese Deus ad hominem condendum convertit, perinde ac si illi antea domum extruere atque exornare voluisset: illius enim causâ facta sunt omnia, ut scilicet eorum omnium et usu et contemplatione frueretur; atque hic, veluti per gradus, ad Dei notitiam, admirationem, amorem denique ac prædicationem assurgeret (1).

(1) Communis ac recepta catholicorum sententiâ è sacris litteris deprompta hæc est, Deum hoc universum ad gloriæ suæ manifestationem condidisse. Dicitur enim, Prov. 16, 4 : « Universa propter semetipsum operatus est Dominus. » Attamen ex recentioribus Kantius autumat Deum in constituendo summo mundi creati fine naturarum tantum intelligentium habuisse rationem. Kritik der prakt. Vernunft seu Critica rationis practicæ, p. 255 seqq. Krit. d. Urtheilskr. seu Critica facultatis judicandi, p. 538 seqq., 421 seqq. in eandem sententiam concesserunt Chr. Will. Snell Drei Abhandlungen, etc., seu : tractatus tres de Materia philosophiæ; tr. duo de Optimismo Lips. 1796 Jacobi Allg. Religion seu Religio gener., p. 416 seqq. Ammon. Summa theol. Christ. p. 151 seqq. Wegscheider Inst. theol., § 96. Horum potius protestantium et rationalistarum vestigiis quàm catholicorum insistere maluit Georg. Hermes, qui in Introduct. philosophicâ Monast. 1819, quæst. 2, § 71, p. 470 repudiata communi theologorum sententiâ, qui affirmant Deum gloriam propriam in creatione rerum veluti finem habuisse, post plura satis obscurè disputata concludit : « Deus itaque creavit hominem propter hominem, et quidem ad ejus felicitatem : nam Deus, ut ens moraliter perfectum et bonum, non potuit ei malè, sed unicè bene velle. Dixi, et quidem ad ejus felicitatem, hoc est, non ad sensibilem felicitatem, nam fructio sensibilis non habet valorem immutabilem pro ente rationali-sensibili, et nunquam erit eo digna, sed ad felicitatem quæ oritur ex convenientiâ moraliter liberè acquisitâ. Cætera omnia super terram non possumus admittère nisi propter hominem facta esse. Homo igitur erit inter omnes creaturas unicum ens, propter quod Deus hunc mundum condidit. » Verùm præterquam quod identica hæc doctrina est cum Kantii cæterorumque rationalistarum placitis, quæ ducunt ad *optimismum*, ut patet ex Wegscheider l. c. exinde oritur, quòd non benè dignoscuntur diversi fines, qui simul confunduntur. Interdum enim *finis* nomine intelligitur *id, cujus obtinendi gratiâ eligitur medium*, et à scholasticis dicitur *finis cujus*; interdum venit *causa finalis*, eò quòd participet rationem causæ.

Quidquid ad philosophiæ ac sacrarum litterarum professores spectat, omninò omittimus : quidquid est

quæ importat influxum in existentiam alterius (Suarez Metaph. disp. 12, sect. 3, n. 5.); rursus finis usurpatur pro eâ ratione aliquid volendi, quæ nomen finis habet, quatenus est aliquid bonum per se appetibile, sed præscindit ab eo, quòd hoc bonum possideatur vel desideretur, et passim dicitur *finis quia*. Præterea finis usurpatur pro subjecto, cui volumus aliquid sive bonum sive malum : atque hic dicitur *finis cui*, qui rursùm in duos distinguitur, ultimum et non ultimum sive proximum. Insuper finis id etiam dicitur, quod alicui volumus : atque hic appellatur *finis qui*. Tandem finis vocatur possessio boni, quod intendebatur, atque hic audit *finis quo*. His positis : 1° Finis creationis mundi per modum causæ à Deo, vel realiter, vel per nostrum cogitandi modum à Deo distinctæ, nullus esse potest. (Conf. S. August. de Genes. cont. Manich. c. 2, p. 316. et quæst. 85, q. 28, p. 211, et S. Th. 1 p., q. 19 ad 5.) 2° Finis creationis, quâ Deus ex nostro intelligendi modo illam voluit, est divina bonitas (Conf. S. Aug. de Gen. ad litt. lib. 1, c. 7, n. 13 col. 121, et de Civ., lib. 11, c. 21, col. 288; necnon S. Th. 1 p., q. 44, ad 4, et cont. Gent. l. 2, c. 55, et alibi passim; Vasquez in 1 p. Disp. 82, c. 2 seq.). 3° Deus in creatione mundi habuit pro *fine cui* omnium ultimo gloriam suam, id est, cognitionem divinarum perfectionum, ex quâ creaturæ intelligentes in Dei laudem assurgunt, quæ est notio propria hujus nominis juxta S. Th. 2-2. q. 152 ad 1. Quod expressè declaratur : Isai. 43, 7; Deut. 26, 19; Ezech. 28, 22; Prov. 1. c., Ps. 18; Baruch 3, 35; Apoc. 1, 8, etc. 4° Deus in constructione hujus terræ et omnium brutorum animalium, quæ in ipsâ sunt, habuit homines pro fine immediato, ut Scripturæ apertè declarant : Ps. 115; Ps. 8; Gen. 1, 26, 28. (Conf. Suar. oper. Sex Dies. lib. 3, cap. 17, n. 15. seqq.; Pallav. Del. bene lib. 2, c. 2 seq.) Hæc enucleatius exponenda erant adversus eos quos omnia permiscere juvat, ut absurda quæque obtrudant, ex quibus deinde pessimæ consecutiones deducuntur, ut videbimus disserendo adversus Bayle, ubi de æternitate poenarum, quæ necessariam habet cum hic dictis connexionem. Videsis Andr. Spagni S. J. Diss. de mundo Romæ 1770. Prop. 9, sect. 1 seqq. Cæterum, cum agatur de re summi momenti nempe de fine hominis et totius universi, nos non piget unum vel alterum ex S. Thomâ depromere argumentum, quo ostendatur adversus Hermes, Deum debuisse omnimò hominem propter se creare, nec alium in hoc sibi finem præstituisse posse, neque in hoc respicere commodum proprium, ut Hermes autumat, sed bonum

theologi, in postremâ hâc tractatâ parte, in quâ de homine disserimus, nos consecrabimur, ne longius quàm par est, disputatio discurrat. Ut igitur præstituti finibus contineantur, quæ de homine disceptari solent de ejusdem inprimis creatione, felicitate et gratiâ, seu gratuitâ elevatione; de ipsius deinceps lapsu, et peccati originalis propagatione et affectibus; de futurâ demùm pro meritis hominis sorte ac resurrectione ex ordine agemus. Atque hâc porrò ratione, quæ potiora sunt ac scitu maximè necessaria complectimur pro diverso hominis statu ac multiplici conditione.

CAPUT PRIMUM.

DE HOMINIS CREATIONE

Duo potissimùm errores adversantur Mosaicæ creationis historie. Alter eorum est, qui hominem à Deo, saltem immediatè, creatum negant, sed vel ab terrâ ipsius fecunditate, vel ab ovo, vel limo sicut ranæ ex Nilo eum prodiisse affirmant (1). Nullum ferè argumentum est, quo magis increduli et athei torqueantur,

nostrum. Sic igitur loquitur S. doctor l. 2 cont. Gent., c. 55 : « Finis divinæ voluntatis non potest esse nisi ejus bonitas; non autem agit propter hunc finem producendum in esse... cum bonitas ejus sit æterna et immutabilis, ita quod ei nihil accrescere potest; nec etiam potest dici quòd propter ejus meliorem Deus agat: nec etiam agit propter hunc finem nem acquirendum sibi; ipse enim est sua bonitas. Restat igitur, quòd agit propter finem, in quantum effectum producit ad participationem finis. » Rursùm ib. lib. 1, c. 93 : « Deus nobis non beneficit ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia ipsum communicare est sibi conveniens, ut fonti bonitatis. Dare autem non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem et convenientiam dationis, est actus liberalitatis. » Conf. præterea in locis cit : « Sanè, ut inquit P. Rogacciu. c. S. J. in op. Unius necessarij, p. 1, c. 25, uliane liberalior esse potest ac beneficentior voluntas, seu lucis erga hominem cæcum, quàm si illum spectatorem suæ pulchritudinis cupiat; seu fontis erga siti confectum, quàm si ad gustandos suos latices eum provocet? » Sed consul. idem auctor, qui non minùs piè quàm solidè id evincit.

(1) Neeldham et Buffonius negant saltem immediatè à Deo hominem conditum esse, sed prodiisse affirmant ex particulis vel essentiis, ut vocant, organisatricibus, aut vi vegetativâ, quibus Deus naturam ditavit. Conf. Spalanzani Osservazioni microscopiche, etc., Milano 1826, t. 2, Aristoteles modò emittit hypothesis de humano genere nunquàm cepto, modò eam vocat πεισιν, persuasionem. Denique lib. 5, de Generat. anim. concludit : « Quare et de hominum ac quadrupedum ortu non absurdè quis conjectat, si olim ex terrâ editi sùnt, id duorum modorum altero evenisse, aut ex uterque ut ex vermè ὡς σκώληκος primùm existerent, aut ex ovis ἐξ ὄνων ederentur; » expositis autem his modis, inquit : « Quare si quid initium existendi animalibus fuit, id altero de duobus istis modis contigisse manifestum est. » Οὗτοι μὲν οὖν εἴπερ ἦν τις ἀρχὴ τῆς γενέσεως πᾶσι τοῖς ζώοις ἐπιέργῃ δυνάμει τῶν ἐπέραν, γαμερόν, ed. Paris 1619, tom 1, par. alt., p. 1115. Aliquâ tamen veniâ dignus est, utpote revelatione destitutus, si ita desipuit. At nullâ veniâ digni sunt recentiores illi, qui ut revelationem abjicerent, nihilominus desipuerunt circa hominis originem, quorum alii ex ovo, vel putredine, vel mari, vel piscibus ortum eum autumârunt : alii infinitam successionem admiserunt, quos vel recensere inane omninò opus esset.

quàm istud de anthropogoniâ seu hominis origine; circa quam, quiddid absurdi ac ridiculi ægri somnili excogitari potest, commenti sunt. His accedunt rationaliste ac neoterici biblici, qui in Mosaicâ anthropogoniâ non agnoscunt nisi mythum, ac Moyssem propterea primum mythographum appellare non verentur (1). Alter error eorum est, qui autumant ante Adam alios homines fuisse conditos, qui propterea præadamitæ audiunt. Hujus erroris instaurator fuit Isaacus La Peyrere (2) è Calvinâ disciplinâ, qui tamen ad meliorem postea frugem revocatus, errorem hunc unâ cum hæresi Calvinianâ egeravit. Parùm ab hoc errore abluunt ii qui censent non omnes homines ab eodem parente progenitos esse, sed contendunt in quâlibet mundi plagâ suos fuisse aborigenes, qui specie distinguerentur, à quibus diversæ hominum gentes prodierunt (3). Ad ejusmodi errores convellendos sit

PROPOSITIO PRIMA. — Primi parentes immediatè à Deo conditi sunt.

Dùm immediatè à Deo conditos progenitores asserimus, non solum de animâ, sed etiam de corpore propositionem hujusmodi intelligi volumus, seu de toto homine. Rursùm, dùm dicimus hominem, etiam quoad corpus, id affirmamus per oppositionem ad memoratum incredulorum errorem, qui hominem repetunt ex causâ immediatâ naturali, nec enim propositum nobis est manus miscere cum scholasticis illis, qui opinati sunt Deum ministerio angelorum usum esse ad protoparentis corpus è terrâ limo plasmandum (4), cui ipse postea vitam et animam communicavit (5), atque in-

(1) Ita Wegsch. § 98, n. (a), p. 321.
(2) In op. Præadamitæ, vel exercitatio exegetica in Ep. ad Rom. 5, 12, seqq., 1655, in 4, quem nonnulli alii in eadem sententiâ præcesserunt, quos recenset Colovius in System. Locor. theol. tom. 5, p. 1044, necnon Von Irwing ueh. d. Ursprung, etc., seu de Origine cognitionis veritatis et scientiarum Berol. 1781.
(3) Telliamed, seu De Maillet in op. de Orig. mundi, p. 201, affirmat Ægyptios, Indos, etc., seu viginti populos docere homines indigenas et aborigenes fungorum ad instar è terrâ prodiisse. Alibi asserit pisces in homines mutatos, præsertim in regionibus septentrionalibus. Sublimis sanè philosophia! Alio sensu aborigenes admiserunt Carli, Fabroni et Aloys. Bossi Dell'istoria d'Italia antica e moderna, Milano 1819. Sed de his postea.
(4) Conf. Corn. à Lap. hic. Similia habet Philo de Opif. mundi. Ast. S. Basil. Hexa. hom. 9. Ambr. Hex. lib. 6, c. 7, n. 40; S. Aug. de Genes. ad litt. lib. 9, c. 15; Theodor., in Gen., q. 49, angelos excludunt.
(5) Nonnulli contendunt distinguendum esse principium vitale ab animâ, atque ab Apostolo tres homini partes tribui σώμα corpus, ψυχήν vitam animale, et πνεύμα vitam spirituale, rationem, 1 Cor. 15, 44 seqq. Coll. 2, 14, lib. Thess. 5, 23. Heb. 4, 23. Veteres philosophos distinctionem instituisse inter animam et animam certum est, ut testatur Cicero tum alibi tum Tusc. 4, 8, quos imitatus Josephus Arch. lib. 1, cap. 1, ἐπιπασσεν, inquit, ὁ θεὸς τὸν ἀβελζῶνον χεῖρον ἀπὸ τῆς γῆς λαβὼν, καὶ πνεύμα ἐνήκεν αὐτῷ καὶ ψυχήν; et linxit Deus hominem, accepto ex terrâ limo; immisitque in eum spiritum et animam. — S. Irenæus cont. Hæres. lib. 5, c. 6, anima autem, ait, et spiritus pars hominis esse possunt, homo autem nequaquam. — Origenes de Principiis lib. 3, c. 4. Neuesius de Nat.

didit. Itaque in primo sensu sumpta propositio ad fidem spectat, ut patet ex superius recitato decreto concilii Later. IV.

En autem quomodò ejusmodi veritatem evincimus revelatione duce : Gen. 1, 27, apertè traditur quòd, conditis omnibus animalibus, CREAVIT Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Deus proinde totum hominem condidit, per se enim corpus è limo terræ formavit, animam verò per inspirationem indidit. Et hæc quidem de mare, de feminæ autem formatione et ortu legimus ib. 2, 21 : Immisit Dominus soporem in Adam; cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et edificavit eam in mulierem. Si hæc porrò in sensu historico ac literali intelligantur, satis superque perhibent utrumque protoplastam à Deo ipso formatum et conditum fuisse; jam verò prout jacent accipienda ea verba esse, ipse contextus, sensus traditionalis hebræorum et cæterorum librorum sacrorum irrefragabilis auctoritas ostendunt. Ac inprimis contextus postulat : nisi enim literalis sensus ratio habeatur, cum iis verbis nullâ ratione coherens, quæ sequuntur; vix enim Adam expergefactus à sopore suo Evam conspexit, ut in illas voces eruperit : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ : hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est (1). Ad hæc porrò verba alludit apertissimè Apostolus 1 Cor. 11, 8, ubi ait : Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro (2), et 1 Tim. 2, 13. Neque Judæi, si fabulatores nonnullos excipias rabbinos, ab eodem sensu unquam recesserunt (3). Quod spectat ad veteres Ecclesiæ Patres, supervacaneum est ipsos sigillatim recensere, cùm una omnium sententia sit, formationem Evæ ex latere Adam dormientis fuisse typum Ecclesiæ ex latere Christi Domini in cruce mortui efformatæ. Hinc ipsis adversariis fatentibus, ex hoc veluti fonte per vulgati sunt ac recepti apud Orientales mythi de feminæ formatione Mosaicæ historie affines, præsertim apud populos Asiæ superioris (4), nec desunt hujus traditionis documenta penès populos recens detectos (5); quæ quidem omnia apertè evincunt Mosaicam anthropogoniam in nativo sensu accipiendam

hom., c. 1, usus tamen obtinuit vocabula ψυχή et πνεύμα promiscuè usurpari, non secus atque hebr. voces נפש et רוח. Conf. Lactant. de Opific. Dei, c. 18, cum notis Jo. Bapt. Le Brun et Nic. Lenglet Dufresnoi t. 2 Opp., Par. 1748, ubi plura in hæc rem congeruntur. Lucretius fusè discrimen inter animam et animam prosequitur, lib. 5 a v. 156-161.

(1) Gen. 2, 23.
(2) Οὗ γὰρ ἐστὶν ἀνὴρ ἐκ γυναικὸς, ἀλλὰ γυνὴ ἐκ ἀνδρός. Conf. etiam Tob. 8, 8.
(3) Philo Jud. allegoricè exponit lib. 2 Legis alleg., p. 109 seq. apud Calmet, nonnullique rabbinii; cæterum Josephus l. c. Judæique passim universi sensu literali accipiunt.
(4) Ita Wegsch. § 98, n. (a), sic Et. Art. Adam in Ersch u. Gruber Encyclopædie 4, seu Introductio, art. Adam, in Encyclopædiæ Ersch et Gruber. Sanè ejus traditionis documenta apud Sinenses non pauca profert Windischmann l. c., et apud Indos, ib. P. 1, sect. 2, p. 586, seqq.
(5) Conf. Annales de philosophie chrétienne, Paris 1834, année 5, n. 45, tom. 8, janvier, art. Voyages

esse, ac propterea, quod inde sequitur, primos parentes immediatè à Deo conditos fuisse.

Difficultates.

I. Obj. 1° : Homo e. terrâ suapte naturâ oriri potuit per fortuitam motûs ac materiæ conjunctionem. Plura enim corpora organis instructa à naturâ ipsâ quotidie produci nemo est qui non videat (1). 2° Quod verò refert Moyses Genes. 2, 7, ostendit hominem humilium originem suâ minimè contentum sibi à Deo eam accersivisse. 3° Sanè commentarii Mosaicæ duplicem exhibent hujus originis historiam : alteram Genes. 1, 26, quâ Deus uno actu, alteram minùs puram atque perfectam, Gen. 2, 7, 21, 22, quâ primò marem è pulvere terræ, deinde feminam è costâ illius deductam formasse traditur. 4° Quæ quidem ex incultioris ætatis ingenio et aliarum gentium de Anthropogoniâ mythis accommodata sunt (2). Ergo. — Resp. ad primum, nego; satis est enim vel leviter anatomie principia degustare, ut quisque sibi persuadeat absurdam esse hypothesisin materialistarum comminiscantium casu hominem è terrâ prodire potuisse. Tam affabrè enim omnia in humano corpore membra singula disposita sunt, ut nonnisi opus planè divinum ipsum esse quisque intelligat, et altissimæ sapientiæ consilium in eo elucere. Quod autem de hæc hypothesis dictum est, id ipsum tutò quis pronuntiare poterit de aliis similibus somniis incredulorum, qui, dummodò possint sibi persuadere se à Deo conditore non prodiisse, absurda queque devorant multò facilius libentiùsque, quàm infantes fabulas ac historiolas admittunt : attamen obducto supercilio philosophi ambitiosum nomen adsciscunt (3). Ad secundum, nego

et traditions, croyances, superstitions et reste de traditions primitives observées par M. Dumont d'Urville dans son voyage autour du monde à bord de l'Astrolabe, dans la nouvelle Zélande et les îles de Tonga, ubi inter cæteras traditiones servata est : « La femme tirée de la côte de l'homme. »

(1) Sic auct. Réflexions philosophiques sur le système de la nature. Nec valdè abluvit Neeldham, qui omnia ferè corpora organis instructa repetit à vi vegetativâ, ut ipse eam vocat, à quâ repetit corpus Adam, imò et Evæ formationem, quæ ad instar polypi junioris ab aliò dissecti, prodiit ex corpore Adam. Conf. Spalanzani Opuscoli di fisica animale. Milano 1826. Opusc. 1, P. 1, pag. 17, 18.

(2) Ita Wegsch. § 98, ubi concludit : « Ei verò, qui narrationes istas Mosaicæ ad institutionem vitæ communis transferre studet, maximè cavendum est ne homines nostri puriore numinis ideâ imbuti, quàm quæ in libris illis passim significata est, singula nimium premendo offendantur, neve à pio in Deum creatorem amore et reverentiâ abducantur dabitâ. » Ex quibus quanta sit hominis impudentia satis elucet.

(3) Quæri etiam posset quare illa fortunatissima tellus, quæ homines ultrò è sinu suo producebat, fecunditatem suam amiserit? Forsân respondebunt quod olim Epicureus Lucretius lib. 5, v. 824, seqq., ed. Taur. 1851 :

Sed quia finem aliquam pariendi debet habere, Destitit, ut mulier spatio defessa velusto, Mutat enim mundi naturam totius ætas;

Sic igitur mundi naturam totius ætas

pariter, et addo nullam aliam originem, si recta ratione quis uti velit, posse sibi quemquam confingere. Atque hinc est, quod homo, velit nolit, ineluctabile semper secum ferat argumentum existentiae Dei.

Ad tertium, nego; sed una eademque à Mosaicis commentariis historia traditur, in primo quidem capite in universum mundi ortum ac summam, in altero verò modus ac ratio exponitur, quâ telluris recens creatæ nuda et incompta facies instructa sit plantarum ornatu, tum de maris et feminæ origine, atque de primorum parentum sede et conditione latius disseritur (1), ac per partes describitur. Evanescit propterea, quod à rationalistis additur de alterâ originis historiâ minùs purâ atque perfectâ, Gen. 2, 7, 21, 22, quæ non alio nititur fundamento nisi cuncta carpendi cacœthe (2).

Ad quartum, nego; tum quia in simplici ac ingenuâ Moysis narratione nihil est, quod mythum indiget; tum quia aliarum gentium, qui dicuntur de anthropogoniâ mythi, non sunt nisi primævæ traditionis corruptiones, quæ plus minùs recesserunt à veritate pro diversitate indolis eorum qui eam servârunt (3), qui

Mutat, et ex alio terram status accipit alter, Quod potuit, nequeat: possit quod non tulit ante. Conf. Cudworth Syst. intell., c. 5, § 68, 69.

(1) Sic ferè Rosenmuller, auctor adversariis non suspectus, in scholiis in vet. Test., in homil. 1, ubi solvit omnia argumenta eorum qui ab alio auctore scriptum secundum caput Geneseos contendunt diverso ab eo, qui primum scripserat. Præstat verò adnotare, Eichhornium inferre antiquioris ætatis et scriptoris esse, quæ cap. 2 et 3, Geneseos habentur, ex dicendi genere, quòd ibi deprehendere sibi visus est, impolito atque indocto, quòd vetustissimi ævi simplicitatem referat. Contra verò in his ipsis capitibus stylum multò ornatiorem, quàm in iis quæ præcesserant, nec pauca exquisitoris doctrinæ indicia agnoscit Heinrichs (Commentatio de antiquo illo documento, quod secundo Geneseos capite exstat, Gotting. 1790), unde eadem recentiori ætati assignat. Quàm probè inter se coherent hi philologi protestantes! Gesenius verò in op. Edificium doctrinæ linguæ hebr. p. hist. ling. hebr. ex eo quòd in primo cap. Gen. sermo tantum sit de אלהים diis, in capitibus verò duobus subsequ. factus sit יהוה אלהים, Deus Deorum in compositione æquivalens אלהים יהוה Deus Sabaoth, in reliquis demùm appareat solus יהוה Deus, deducit progressum à polytheismo ad ideam unitatis Dei. Miseri fabulatores! Hoc enim Gesenii commentum explodit vel levis totius libri inspectio; etenim ter in ipso cap. 3 Gen. 2, 5, legitur solum nomen Elohim absque additamento Jehova; sic Gen. 28, 16, sequq., nomina Jehova et Elohim promiscue usurpantur. Eadem dicendi ratio in cæteris omnibus vet. Test. libris observatur; Conf. speciminis gratia Jon. 4, 1, 4, 6, 7, 8, 9, 10, in quibus modò Jehova solum, modò Jehova Elohim, modò denique rursùm solum Jehova reperiuntur.

(2) Conf. Lettr. de quelques juifs à M. de Voltaire, tom. 1, Petit commentaire, etc., 4. Extrait d'Adam et de son histoire.

(3) Conf. Banier, Mythologie et les fables expliquées par l'histoire, tom. 3, lib. 1, c. 4, ubi eruditè ostendit Græcos defectu historicorum ignorasse propriam originem ac propterea seipso vocasse αὐτοχθόνες seu ex ipsâ terrâ ortos, quòd pariter præstiterunt Pelasgi, Celti, Iberi, Scythi, etc., eadem vanitate ducti ac nonnulli Itali nostri, quos inferius recensuimus, qui ut stulte huic antiquitati faverent, minime veriti sunt Scripturæ auctoritati retragari.

omnes, cum posteriores sint Mosaicis commentariis, eosdem in omnibus suis partibus mirificè confirmant.

II. Obj. 1°: Nemo qui sobrius sit inficiari saltem poterit feminæ è viri latere formationem, prout à Moysè describitur mythum esse seu philosophema ad mutuum illud atque vehementissimum viri et feminæ desiderium adumbrandum, quo sese mutuò prosequuntur, ab ipso rerum omnium auctore utriusque sexui altè infixum et ingeneratum. 2° Simili mytho de viro ac feminâ uno olim corpore conjunctis, sed à Jove postea dirempsis, amoris mutui vim Plato declaravit (1). 3° Quod verò Deus Adamo, quom somno erat cbrutus, ne dolorem sentiret, costam eximisse narratur; homo autem expergefactus, conspectâ feminâ, exclamâsse dicitur, hoc demùm esse animal sibi simile, id apertè est additum fabulæ adornandæ causâ (2). 4° Ab hac verò expositione non abhorrent catholici ipsi theologi, quorum aliqui allegoricè verba Moysis interpretati sunt, ut Cajetanus (3), alii primum hominem vel androgynum vel hermaphroditum à Deo conditum autmârunt (4). 5° Ipsa quodam modo rei natura aliquam ex his expositionibus exposcere videtur, nisi primum hominem aut monstrum ante Evæ formationem, costâ scilicet redundantem, aut imperfectum post ejusdem ortum, costâ videlicet destitutum existitisse contendamus. Ergo.— Resp. ad primum, dist.: Suppositâ historicâ veritate, concedo; ad ejusdem exclusionem, nego. Ipsi Ecclesiæ Patres atque Scripturarum catholici: expositores deprehenderunt moralem mutui conjugum amoris sensum in feminæ procreatione, prout à Moysè describitur (5), sed hic moralis sensus in litterali fundatur, quo subditò, actum est de sacri historici veracitate. Nonnisi recentiores biblici protestantes purum mythum in Moysis verbis exprimi commenta sunt contra sensum traditionalem et invitis omnibus germanæ exegeseos legibus. Ad secundum, nego suppositum ex dictis; Plato autem phantasie suæ indulgens exornavit plus æquo quod apud orientales gentes, quarum provincias peragraverat, traditum invenit (6). Ad tertium, nego;

(1) In Timæo opp. ed. Steph., Paris, 1588, tom. 3, p. 41, sequq., et in Symposio ib., p. 189 sequq. ex impuri Aristophanis personâ fusè persequitur fabulam de homine ἀνδρογύνην in duas partes dissecto, etc. Lucr. l. c. v. 837.

(2) Ita Rosenmuller ad v. 21 cap. 2 Gen.

(3) Comm. in h. l.

(4) Mirum est Michelem in diss., p. 72 suiv., potuisse seriò contendere auctoritate Platonis ac rabbinorum Adamum reipsâ androgynum fuisse à Deo procreatum. Absurda rabbinorum commenta referunt Heideggerus in hist. Patriarch. exerc. 4, t. 1, p. 55, et Fabricius in cod. Pseud. vet. Test. t. 1. Voltaire veritus non est tum in op. Raison par alphabet, art. Adam, tum in Bible enfin expliquée, Moysi tribuere historiam de homine androgyno; sed Conf. Lettres de quelques Juifs, l. c., § 12.

(5) Conf. Corn. à Lap. hic. Vid. S. Th. lib. p. q. 92, a. 2, et 3.

(6) Conf. Banier op. cit. t. 1, liv. 1, ch. 1, ubi ostendit in antiquorum anthropogoniis, non exclusâ ipsa Platonis l. c. elucere vestigia Mosaicæ historie, ac scitè concludit: « L'esprit humain fait en vain tous ses efforts pour corrompre la vérité; elle laisse toujours quel-

sublato enim fundamèto, cætera quæ illi superextruuntur, corruiant, necesse est, maximè quòd reliqua Scripturarum loca, juxta exposita, arbitrariam biblicorum et rationalistarum hypothesim evertant. Ad quartum, dist.: Id est, nonnulli contra communem Patrum et interpretum sensum, concedo; aliàs, nego. Ideò autem quod singulares isti expositores plus æquo proprio ingenio indulserint in Scripturarum explanatione contra sensum totius antiquitatis, sapientiorum omnium reprehensionem invidiamque subierunt. Exinde discimus, alex opus plenum esse, velle à receptâ et communi in bibliis exponendis sententiâ recedere. In eos scopulos inciderunt, in quos passim protestantes ex propriis principiis navem suam impingunt. (1). Ad quintum, nego; ad allatam verò probationem reponimus neque monstrum nec deficientem parte aliquâ integrali primum hominem sive ante sive post feminæ formationem existitisse, Deo providente ac disponente sapientiâ suâ, ne in alterutrum defectum incideret. Sacer textus id apertè innuit (2). Deceptio illorum, qui his nugis detinentur, in eo est, quòd velint junctura ferre de rebus longè à se positis et quarum adjuncta omnia penitèntis ignorant.

PROPOSITIO II. — Universum humanum genus ab Adam omnium protoparente propagatum est.

Hæc propositio ad fidem spectat, utpote necessariò connexa cum articulo de propagatione peccati originalis, de quâ inferius; duas porrò adversariorum classes perstringit, præadamitas videlicet et aborigenum autochthonumve fautores, eorum scilicet hominum, qui habentur ut enati in diversis mundi plagis, et à quibus multiplices species repeti solent humani generis (3), licet etiam à Deo condite. Cùm verò ex adversariis, quos hic refellendos suscipimus, alii, ut præadamite, Scripturæ auctoritatem admittant, alii verò rejiciant, hinc argumentis ex Scripturâ depromptis alia præterea ab externis fontibus petita ad eos refellendos adijcere cogimur. Ac primò sic præadamitas perstringimus: sacra Scriptura præadamitarum existentiam excludit, si perpetuò nobis exhibeat Adamum omnium hominum solum et unicum progenitorem. Porrò id

« que trace lumineuse qui la fait reconnaître. » (p. 78.) Quod speciatim ad Platonem attinet, ipsum deprompsisse fictionem suam à traditione apud Orientales, quam tamen ipse non satis intellexerat, animadvertit Eusebius Præp. ev. lib. 12, cap. 12, ed. cit.

(1) In ejusmodi absurda incidit nuper Fr. Baader quamvis catholicus in Annot. in c. 2 Genes. 1829.

(2) Menochius, Estius, Piscat. Catharinus in comm. ad h. l. censent et costam et carnem Deum suffecisse in ejus locum, unde et carnem et costam sumpserat, prout verba ipsa Adams indicant: « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ. » Nonnulli vocem אלהים vertunt latus; chald. interdum eandem vocem reddit partem; sic Alexandrini in eundem sensum transferunt eam identidem per vocem μέρος. Ast necesse non est ad hæc confugere. Conf. Calmet hic.

(3) Animadvertendum autem apprimè est non omnes qui admittunt aborigenes seu autochthonas, perverso sensu hanc sententiam tueri, sed eorum plerique aborigenum et autochthonum nomine eos populos vocare solent, quorum ex historicis documentis origo cognoscitur.

nobis apertè prodit imprimis liber Geneseos. capite enim 1. 27, perfectis totius mundani orbis operibus legitur: Creavit Deus hominem (1) ad imaginem suam, masculum et feminam creavit eos. De hoc autem ipso homine, antequàm enucleatius ipsius creationis ratio exponatur, dicitur c. 2, v. 5: Et homo non erat qui operaretur terram, et c. 2, 20: Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus; ac rursus, c. 3, 20: Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Evæ, eò quòd mater esset cunctorum viventium. Quæ quidem confirmant tum ex lib. Sapientie 10, 1: Hæc (sapientia) illum, qui primus formatus est à Deo, pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit; tum Apostoli verbis, Act. 17, 26: Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ. Hæc autem clara adeò ac perspicua sunt, ut nullam exceptionem admittant. His verò si accedat sensus traditionalis Hebræorum et Christianorum, qui constans et universalis est, ac dogma propagationis originalis noxæ in homines singulos, quod semper, ut ostendimus, Ecclesia professæ est, quodque huic facto innititur, nullus subest dubitandi locus.

Nunc autem, quod attinet ad adversarios cæteros, qui aborigenes seu autochthonas populos inducunt, vel ipsi à Deo hos homines seu primos terrarum incolas conditos admittunt, vel non; in utrâque hypothesi difficile non est eos erroris arguere.

Etenim I. adversus eos stant omnes antiquæ anthropogoniæ, quas nobis sive poetæ, sive historici servârunt, quæ prorsus collimant cum anthropogoniâ Mosaicâ. Sanchuniaton enim, cujus historie fragmentum nobis transmisit Eusebius (2), refert ex meruach kolpia

(1) Hebraicè porrò clariùs id exprimitur per articulum præfixum: אדם הראשון, Italicè l' uomo, quod est nomen appellativum, postea verò proprium primi homines factum est κατ' ἐξοχήν seu per excellentiam ita dicti; unde patet hic propriè describi hominis sui nature humane originem primam.

(2) Lib. 1 Præp. evang. edit. Vigeri c. 10 ex versione Philonis Biblii, qui totum opus Sanchuniatonis ex lingua Phœnicia in Græcam transtulit ac in novem libros distribuit. Cujus quidem Sanchuniatonis operis diversæ exstiterunt criticorum judicia, quæ hic expendere non vacat. Nonnulli adeò progressi sunt, ut illud supposititium existimaverint. At prudentior criticorum pars suo auctori hanc historiam vindicavit. Imò anno nuper elapso in Lusitaniâ integram Philonis Græcam Sanchuniatonis translationem repertam ac quamprimum typis berolinensibus in lucem vulgatam iri nuntiatum fuit. In citato igitur fragmento legitur: Ἐκ τοῦ κολπίου ἀνέμω, καὶ γυναικὸς αὐτοῦ Βάου τοῦτο δὲ νόματα ἐρμηνεύειν Αἰδὼν καὶ πρωτόγονον θνητῶν ἀνδρας, οὗτω καλομένους ἔδραυν δὲ τὸν Αἰδῶνα τῆν ἀπὸ τῶν δένδρων προσην, seu: « Ex kolpia vento atque ejus uxore Baau, quam noctem (Græci) interpretantur, Ævum ac primogenitum, mortales ambos, procreatos: Ævumque cibi ex arboribus petendi auctorem fuisse. » Eruditus autem Fourmont senior in op. Réflexions sur l'origine, l'histoire et la succession des anciens peuples. Paris. 1747, tom. 1, liv. 2, ch. cinquième, ostendit verba originalia Sanchuniatonis fuisse מרחק קול פי יהוה מלדו הוון ובהך seu meruach quel phi yah noladou hayon oubekor. Ex spiritu vocis Dei procreati sunt Æon et Protogonos; ac probè sensum Sanchuniatonis retulisse Philonem, Græcos verò ignaros textum interpolasse. Porrò per Æonem, seu potius hajon Hevam ibi exprimi, et per